

**Le Chat De La Sourdière,  
Jacques-François - candidat /  
Vandermonde, Jacques-François -  
président. - An infantum, à dentitione,  
convulsionibus, vel soporibus,  
repetitus cathartorum usus ?**

**1741.**

***Paris : Typis Quillau,  
Universitatis & Facultatis  
Medicinae Typographi  
Cote : ms 2329 n°64***



DEO OPTIMO MAX.  
UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,  
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS  
*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Sabbati vigesima tertia  
Decembris M. DCC. XLI.*

M. JACOBO-FRANCISCO VANDERMONDE,  
Doctore Medico, Præsidente.

*An infantum, à dentitione, convulsionibus, vel soporibus, repetitus  
catharticorum usus?*

I.



OMINIS vita à doloribus auspicatur. Vix eâ potitur miser, cum diris torqueri, dentitionis labore, vix desinat cruciatibus. Tumescentes gingivæ prurigne, dolore, phlogosi afficiuntur; pullulant in ore aphthæ, ardor & sitis intenduntur, clamitant insomnes infantiuli, irrequieti huc, illuc agitantur. Alimentum acescit in ventriculo, devehitur ad intestina malè subactum, corruptum pungentia tormina, flatus, borborigmos suscitatur, pravum ministrat chylum: sanguinem, bilem, succum nutritium, aliosque inficit humores. Hoc ritu secretiones & excretiones pervertuntur. Stagnant in vasis minimis liquida, inspissantur, depravantur: infarciuntur viscera, intumescit abdomen, exoritur febris, tussis, dys-

pnæa; torſpecunt artus, flacceſcunt; vix collum ſuſtinet capitis onus; tandem, aſtrictâ alvo, accedunt membrorum & tendinum ſubſultus, convulſiones, quandoque ſopores.

## I I.

**I**N genere, ab accidentibus externis, vel animi pathematis, immo ſæpius à pravâ corporis diatheſi, ſpaſmorum, ſoporumque repete originem. Convulſio, ex Hyppocrate, ſit vel inanitione, vel repletione. Hanc argue in pueris cauſam quæ cerebrum, & nervorum exordia conſtringere & opprimere potis eſt: infartum videlicet tubulorum ejuſdem viſceris, ſanguinis & lymphæ, in innumeris capillariſus hæſionem: viget enim inter caput & præcordia intimior conſenſus; dum infarta abdominis viſcera vix peragrans purpureus latex, ad capitis arterias regurgitat ibi cumulandus; cum non eâ proportionem per venas relabitur, quâ arteriis vehitur. Eò plura ex abdomine reſſuunt, cum regurgitante ſanguine pericula, quòd illud totius corporis ſentina, & inquinamentorum receptaculum, ſuccorum ſtagnationi valde ſit obnoxium. Per mollem & teneram illius viſcerum compagem, per vaſa flaccidioris meſenterii adminiculo languente ſuffulta, per glandularum in eo diſperſarum debiliorem texturam, per vaſa plurimi generis ſuccos lenteſcentes, & pravè coctos vehentia, ſegniùs propulſi liquores ingurgitantur facilè, ſenſim ſine ſenſu congeruntur, parum renitente vaſorum huc, illuc fluctuantium tono. His adde infantulorum muſculos motibus & exercitationibus prorsus tunc temporis impares, fibras eorum laxiores & debiliores. Sic congeſtionum, cerebri ſoventur primordia.

## I I I.

**I**NTER omnia, ſagacitate, indiſtriâque humanâ, ad ſanandas ægri tudines, excogitata commoda, palmam ſibi proripuiſſe videtur cathariſis. Hæc Apollinis arti coeæva, ſola medicinæ nomine gaudet. Sua ſunt interim cuique morbo, tempori, ætati, regioni, anni tempeſtati, peuliaria evacuandi præſida è triplici reſpectu deſumpta. Cave eadem in pleuride, quàm urgente apoplexiâ, decernas. In febris bilioſis intermittentibus, tutò & ſeliceiter in incremento propinabis, dum in inflammatoriis & acutis, non niſi declinante æſtu, relaxatiſque vaſorum fibris, adhibenda. Alia pueris, alia adultis, alia ſenibus ſunt præſcribenda cathartica. Qui ſub zonâ torridâ degunt populi, non niſi leniſſimis utuntur; Septentrionales autem draſtica, & acriora crebrò devorant inſontes hydragoga. Hyeme & autumnò, ventres utpote calidiores, validiùs quàm verno & æſtivo tempore expurgare oportet. Mortalium primus qui morborum ſigna, & naturæ varia; in diſpari ſuimet habitu, attentè obſervavit molimina, Cauſarius. Is, valetudinem ſibi reſtauratam naturalis diarrhææ beneficio, haud ſemel expertus, tandem mole & pondere aggravatus, ad edulia ventrem laxantia recurrentum duxit. Sic nata purgandi occaſio. Inter ſenſiles corporis excretiones, hæc imprimis ſpectanda. Siat aliæ vel imminutæ, vel læſæ hæc uberior, naturæ motibus, aut opportuno ſubſidio comparata, aliarum ſæpe vices gerit: atque æquilibrium ſolida inter & fluida reſtituit, & ſanitatem: immo plures hæc judicantur morbi, quàm aliis ſimul unitis.

**I**N infantulorum, à dentitione, spasms & soporibus, cerebri compressionem ab infartu abdominis enatam, sat superque demonstravimus. Hanc derivationis ope amovendam, sicque primariam morbi causam auferendam, qui inficias iverit? Vel detracto è saphenâ sanguine, vel dejectâ pluries alvo, vasorum capitis derivatio comparanda. Utrumque molienti, certiores & constantiores pendendæ indicationes. Has desume ex molliori, & laxiori musculorum, aliarumque tenerrimarum partium texturâ; ex vasorum ubertate, & lymphæ nutritiæ redundantia; ex parçâ perspiratione; ex pulsu molli & flaccido; & denique ex succorum glutine & vasorum atoniâ: quæ singula sanguinis detractiorem deterrent & respuunt. His adde, naturæ viam monstrantis, vestigia à venerando sene olim explorata. *In progressu vero*, inquit, *cum jam dentire incipiunt, gingivarum prurigines, febres, convulsiones, alvi profluvia, & maxime cum caninos edunt dentes, & iis præsertim qui crassissimi sunt & alvos duras habent* 3. prognos 25. Cum verò eos qui alvi profluvio laborant minimè spasms corripit, etiam hodierna evincat experientia: quid obstat quominus, hæc excretionem provocatâ, gementi crassiorum sub pondere fluidorum naturæ, auxilium feratur? Cum, *quæ educenda sunt, quò maxime natura vergit, ducere oporteat, per loca conferentia* 1. acut. 27. Non enim solam ventriculi & intestinorum saburram, iteratis cathartorum vellicationibus, foras amandari notum. Corpus humanum totum depurari posse per alvum, probant hiantia in intestinis lymphaticarum, mesenterii arteriolarum oscula: ex quibus, cathartorum ope, serum in fistulam intestinale depluit. Ast, in cathartis eligendis, invigilet sedulo quisquis ea pueris ægrotantibus porriget medicus. Aliis spissescit, aliis liquefcit sanguinis compages. Semotis prioribus, posteriora eligat. Horum tenuiores molecule in sanguinis alveum, per vasa Chylopoëia protrusæ, eandem sic exagitant, ut inde minor evadat globulorum coherencia: sic vasa stimulant, ut adaugeatur vis eorum systaltica. Debilius inter se coherentes sanguinis molecule, vasorum actioni resistunt minus, vasisque validius contractis, validiori nisu in se se mutuo arietant globuli sanguinei. Augetur motus sanguinis, tum intestinus, tum circulatorius. Dum verò tragediam agit in sanguine quidquid cathartorum volatilius, haud muneribus fungendis impar, nerveam intestinorum tunicam in validiores contractionum nisu ciet, quid quid eorum crassius quàm ut lacteorum oscula subierit. Hinc jam tenuior facta, quæ ad mesaraicarum arteriarum fines appellit serosa sanguinis portio, quasi jugi fillicidio in intestina delabatur, adauctoque motu eorum peristaltico, per catharsim foras amandatur.

## V.

**L**ICET præcipuum, puerorum convulsionibus, stabiliamus in purgatione præsidium: ex artis tamen fertili sinu, diversa alia depromi commoda, quis negat? Sunt & gingivarum frictiones, scarificationes, unctiones, aliæque topicæ medicationes, quibus omnino fidere nefas. Sunt antispasmodica, temperantia, sedativa, immo opiata ipsa, quæ in vasorum infartu, & liquorum in-

spiffatione inutilia, si non noxia censemus. Sanguinis missio, non nisi indicationibus appositis, tentanda. Si pulsus durus, frequens, abdomen tensum, renitens, urinæ fœcesque pertinaciter retentæ, saphenam illico seca, non semel tantum, sed quantum urgebit occasio, ægrotantisque vires indulgebunt. Ea tamen sit medenti cautela, ut clysmata varia, fots & unctiones adhiberi curet, pulveres absorbentes deglutiendos jubeat, immo, purgatâ prius nutrice, puero cathartica adæquata, diuque repetita, ad morbi fomitem eradicandam depellendamque præscribat.

*Ergò infantum, à dentitione, convulsionibus, vel soporibus, repetitus catharticorum usus.*

## DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

|                                                                                 |                                                                 |                                                                                                                                                               |
|---------------------------------------------------------------------------------|-----------------------------------------------------------------|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <i>M. Franciscus Felicitas Cochu,</i><br><i>Scholarum Professor designatus.</i> | <i>M. Josephus de Jussieu.</i>                                  | <i>M. Philippus Davier de Breville, Dotariæ Hispaniarum Regiæ Medicus perpetuo ordinarius, &amp; Chirurgiæ Professor.</i>                                     |
| <i>M. Ludovicus - Florentius Bellet.</i>                                        | <i>M. Henricus - Franciscus Bourdelin, Scholarum Professor.</i> | <i>M. Petrus Maloet, Consiliarius Medicus Regis ordinarius, nec non domus Regiæ Invalidorum Ducum &amp; Militum, &amp; Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.</i> |
| <i>M. Joannes de Dieß.</i>                                                      | <i>M. Antonius - Joannes Daval.</i>                             | <i>M. Guillelmus de Magny.</i>                                                                                                                                |

Proponebat Parisiis JACOBUS-FRANCISUS LE CHAT DE LA SOURDIÈRE, Cenomanensis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1741  
à sextâ ad meridiem,